DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
DEBILITATE CAVSA FEBRIVM PROXIMA NON HABENDA

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO DVCE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRAESIDE
D. CHRISTIANO GODOFREDO GRVNER
SERENISS. DVCIS SAXO - VINARIENSIS AC ISENACENS. A
CONSILIIS AVLAE BOTAN. ET THEORET. MED. PROF. PVBL.
ORDIN. FACVLT. MED. H. T. DECANO. ACAD. CAES. NATVR.
CVRIOS. COLLEGA ET MOGVNT. SCIENT. VTIL. NEC NON
SOCIET. ACAD. PRINCIPAL. HASS. ALIARVMQVE
SOCIETATVM SODALI
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
RITE CAPESSENDIS
A. D. XIV. OCTOBRIS CIↃIↃCCLXXX.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
CAROLVS CHRISTOPHORVS STREBEL
SAALFELDENSIS.

JENAE LITTERIS MAVKIANIS

SERENISSIMO ET CLEMENTISSIMO
DVCI AC DOMINO
DOMINO
ERNESTO FRIDERICO
DVCI SAXONIAE
IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE MARGGRAVIO MISNIAE COMITI PRINCIPIS DIGNITATE HENNEBERGAE COMITI MARCHIAE ET RAVENSBERGAE DYNASTAE RAVENSTEINII cet.

DVCI AC DOMINO
MEO LONGE INDVLGENTISSIMO

SERENISSIME DVX
DOMINE CLEMENTISSIME


Nullus ſane dubito, PRINCEPS CLEMENTISSIME, quin ingratiſſimus omnium eſſe iudicarer et immemor tantorum beneficiorum, quibus me ornari pro eximia TVA gratia placuit, niſi datam commode occaſionem arriperem, animum TIBI, DVX SERENISSIME, gratiſſimum atque deuinctiſſimum teſtificandi, quoad eius per virium tenuitatem fieri liceat. Hinc non potui non, quin NOMINI TVO SERENISSIMO, ne ingrato mihi viuendum moriendumque videatur, haſce paucas et parui pretii pagellas deuotiſſima mente conſecrarem; cui vero audaciae, fore, vt ignoſcas, qua es ſingulari ac mirifica in ciues TVOS obſequentiſſimos clementia, ſpes affulget quam maxime iucunda. Quodſi haſce litterarum mearum doctrinaeque medicae primitias

TIBI

TIBI probari et quantulumcunque pietatis ac mentis obſtrictiſſimae documentum haberi cognouero, vertice ſidera tetigiſſe mihi videbor. Annuat ſummum Numen votis precibusque ſubiectorum ſincerrimis, vt ſaluum et incolumem TE, integris ſemper et animi, et corporis viribus, omniumque bonorum adfluentia ornatum, cum SERENISSIMA TVA FAMILIA, ad ſeros vsque annos conſeruet. Sic nec probis ciuibus, nec mihi deerit laetandi materia, et moriar

SERENISSIME DVX
DOMINE CLEMENTISSIME
NOMINIS TVI SERENISSIMI

Seruus ſubmiſſiſſimus
CAROLVS CHRISTOPHORVS STREBEL.



PROOEMIVM



Studiis academicis feliciter ad finem perductis superatisque nuper examinibus, adſpiranti mihi ad ſummos in arte ſalutari honores, dubium haud leue ſubortum eſt, de quo potiſſimum argumento differerem. Etenim magna et praeclara a tirone, qui vix ac ne vix quidem artis medicinalis elementa hauſiſſe putandus eſt, neque vlla adhuc experientia praeditus, exſpectari deſiderarique nullo modo poſſunt. Attamen etiamſi multa ſint, de quibus in vtramque partem diſceptari poſſit, nolui ſumere centies agitatam tritamque materiem, aut nimia lectori verboſitate

ſitate moleſtiam parcere. Hinc conſtitui de *debilitate*, quae in morbis, cum maxime febrilibus, incidit, et magnae vtilitatis cum ad cognoſcendam, tum diiudicandam morbi naturam eſt, iuuenili licet conamine, quaedam in medium proferre, praeſertim cum medicus inter Anglos longe celeberrimus, Guil. Cullen *a*), nouaturiendi ſtudio ductus dixerit, quae naturae non ſatis reſpondere videantur. Ille enim cauſam febrium proximam *b*), inquit, nondum ſatis eſſe cognitam medicis et certam, eaque de re non dubitat in eius locum adſumere debilitatem, ſemper febres, vt ei videtur, praecedentem. Equidem credo, fore perpaucos, quibus omnino arrideat hocce decretum, multosque mecum in eadem ſententia eſſe verſaturos. Conandum ergo eſt et tentandum, quid ad hanc enunciationem precariam quodam modo confutandam vires valeant; quas etſi fateor eſſe perexiguas, tamen certus confido, qui me probus ac aequus arbiter hac de cauſa reprehendat, fore neminem. Magnis in rebus voluiſſe ſat eſt, neque me huius operae poenitebit, ſi quam primus viam ingreſſus ſum ad naturam febrium certiorem efficiendam, me longe praeſtantiores viri ſequantur, remque iſtam perarduam omni exceptione maiorem faciant. Faxit ergo feliciter!

§. I.

a) WILH. CVLLEN *Anfangsgründe der practiſchen Arzneywiſſenſchaft*, I. Th. V. G. Leipz. 1778.

b) CVLLEN, l. c. §. 32.

§. I.

Ante vero, quam ipſam rem aggrediar, placet ordiri a *debilitatis* definitione, atque oſtendere, quam vim habeat, qua ratione ab *laxitate* et *atonia* differat, vlli ne ambiguitati locus relinquatur. Debilitatem igitur, v. c. muſculi, vt cui ea potiſſimum infeſta eſt, meo quidem iudicio vocant, ſi vis eum decenter ſe mouendi deficit, neque ſufficit motibus ita producendis, vt in corpore ſano fieri debet. Quae vero debilitas tunc demum oriri videtur, quando fibras muſculares vis neruoſa quaſi deſerit atque deſtituit. Nam ex phyſiologia edocti ſcimus, motus cauſam muſculorum *c*) praeter illam, quae inſita eſt, principem a neruis proficiſci. Neruo enim, qui muſculum adit et permeat, compreſſo, ſiue alia ratione laeſo, in motum nullo ſtimulo *d*) ſe cieri patitur idem ille muſculus, neque prius vim mouendi recuperat, quam neruus a compreſſione rurſus liberatur. Contra ſi partium inter ſe, quae ſolidum componunt, ea adeſt cohaeſio, vt minori nixu, quam ſatis eſt, ac tarde ſeſe contrahunt, *laxitas* nominatur, ideoque tunc temporis motus, quos vitae et ſanitatis munia exigunt, non iuſta facilitate, vigore atque conſtantia fieri poſſunt. Adeſſe mihi quidem videtur laxus iſte totius corporis habitus in iis hominibus, ceteroquin ſanis, quos poſt quamvis leuem corporis exercitationem cita defatigatio atque laſſitudo

c) Ill. HALLERI *Erſter Umriſs der Geſchäfte des körperlichen Lebens* §. 369. V. G. Berlin 1770.

d) HALLERVS l. c. §. 367.



tudo sequitur. Istius vero laxitatis causa iure ponenda videtur in partium terrestrium, quae solidi basin constituunt, contactibus iusto leuioribus aeque ac rarioribus et ipsius glutinis, quod intercurrit, nimia vel tenuitate, vel copia. Tandem *atonia* superest, perfecta partium solidarum, inprimis musculorum, se contrahendi atque dilatandi impotentia. Vnte patet, debilitatem in neruis residere, laxitatem in solidis quibusque, ex tela cellulosa & fibris conflatis, atoniam in musculis, ideoque scriptoris est, haec a se inuicem bene distinguere.

§. II.

Quum ergo tanta sit neruorum vis ad musculorum, vasorum viscerumque functiones efficiendas, facile inde erit intellectu, quae in morbis apparet debilitas, eam maximi esse momenti existimandam. Neque enim ignoramus, in corpore aegroto semper fieri actionum quandam laesionem; quodsi etiam debilitas maior vel minor incidit, non potest non accidere, quin functionum corporis integritas tollatur, et morbi ipsius vi exinde aucta, in magno aeger periculo versetur. Id quod therapia quoque generalis satis confirmat, dum praecipit, curationem morbi, quocum insignis virium impotentia iungitur, solito difficiliorem esse, neque vnquam ex voto cedere, nisi, ratione debilitatis in primis habita, vires vitae deficientes, ad morbum superandum necessariae, tum per medicamenta analeptica et stimulantia incitentur. Quare quo grauiores sunt causae, quae debilitatem in morbis accersunt, eo maiorem hanc ipsam eoque periculosiorem fore, fugere potest neminem. Quodsi, vtne longus sim, qualescunque sordes, maxime putridae, in primis viis

viis haerentes aut humorum multitudo *e*) confecerint debilitatem, minus terrere debet: Non enim propric a neruis ea prouenit, quippe, inſtitutis apte euacuationibus, mox et facile ceſſat. E contrario debilitas, quae inediam diu toleratam, vel graues morbos ſuperatos, e. g. conuulſiuos et ſpasmodicos, vel euacuationes tam ſanguinis, quam ſeri, crebras et largas, itemque magnam in cerebro, cerebello aut medulla ſpinali compreſſionem difficileque remouendam ſequitur, non mediocre indicat periculum, eo quod nerui ipſi affecti videntur. Hinc conficitur, ſedulo diſtinguenda eſſe debilitatis diſcrimina, ſiquidem morbum, cauſam, ſymtoma, pro re nata conſtituit.

§. III.

Ex quibus omnibus liquet, morbos, ad quos magna, nec opinata virium vitae deiectio, nulla cauſa euidenti praegreſſa, ſe adiungit, tantum non ſemper aliis eſſe multo periculoſiores habendos, ad eosque medicum praeſertim oportere animum attentum et circumſpectum applicare. Neque enim facile his morbis contingit perfecta iudicatio atque legitima, ſed ſaepius in alias partes easdemque nobiliores infelici cum exitu materia morboſa deponitur, nec a naturae iam languentis molиminibus, quae alias ſalubria eſſe animaduertuntur, valde pendere medicus debet, ſed ſolus, a naturae vi medicatrice quaſi deſertus, omni, qua poteſt, ſolertia atque celeritate in eo elaborare, vt vires proſtratas denuo reſuſcitet morbique mitiget vehementiam. In quibus vero morbis debilitas illa ominoſa cum prauis ſignis aliis non ſtatim a principio apparet, ſed

 paulo

e) Ill. GRVNERI Semiotice p. 225. Halae Magdeburg. 1775.



paulo post consequitur, ii minus graues et periculosi aestimari debent, cum causa eius iam sit in propatulo. Ex his intelligitur, ad morbum incipientem si subitus et magnus virium defectus, quam nulla manifesta causa antecessit, superaccedit, et pulsus percipitur valde celer, debilis et quasi vacillans, ex quo solo, dum cetera salutem pollicentur, mortem instare auctor est BAGLIVVS *f*), illique superueniunt virium defectioni adhuc plura et grauiora symtomata, in quibus enitescere videntur vultus insolita mutatio, lingua frigida *g*) siccissima, nulla siti vexante, manus tremulae *h*), vigiliae continuae, crebra animi deliquia, aegri incuria, quies taciturna, neque vlla querela *i*), mitis denique et blandus morbi adspectus *k*), cum periculum vitae summum subsit, et, vt anguis in herba, lateat, eum tunc morbum recte exstimari curatu difficillilium longeque calamitosissimum. Incredibile enim dictu et auditu est, quanta interdum rapiditate et contentione decurrunt morbi, horrendis istis symptomatibus stipati, sic, vt, si quos prehendant, sub prima iam inuasione eos in summum vitae discrimen coniiciant et breui ingulent; hinc factum est, vt eos morbos propterea malignos nominare placeret medicis.

§. IV.

Haec debilitas, de qua adhuc generaliora quaedam commemoranda duxi, in febribus potissimum cernitur, eosque modo

do

f) Prax. l. II. §. 5. p. 129. ed. Norimberg.
g) BAGLIV. l. c. §. 9. p. 145.
h) BAGLIV. l. c. §. 6. p. 141. et §. 9. 146.
i) BAGLIV. l. c. p. 146.
k) Ill. GRVNERI Semiot. §. 742. p. 520.

do antecedit, modo, idque quidem frequentius euenire videtur, paullo post sequitur, si per aliquod tempus durauerint; tum autem, quod supra dictum fuit, inde a febris initio ea virium impotentia cum pulsu perquam debili statim inuadit hominem. Attamen inter medicos haud desunt, qui in aliam nonnihil sententiam de hac re euntes affirment, semper febres antecedere debere insignes debilitatis vniuersalis notas: In his dux et coryphaeus est Cl. CVLLEN *l*). Is enim febrem, ait, ex tribus stadiis, quae nullo non tempore adsint, componi *m*), quorum primum sit stadium debilitatis, alterum frigoris, tertium aestus; quae cum stadia ita se semper excipiant, inde posse colligi, aliud ex alio oriri debere, et algorem proficisci, a debilitate, aestum vero ab algore. Ex his porro concludit, debilitatem, quae febris ipsius accessionem antegressa algorem producat, similiter omnia, quae proxime eueniunt, efficere, atque adeo totius morbi caussam esse proximam. Equidem vero etiamsi concesserim, saepenumero stadia ita se habere atque sequi, nullus tamen memini me alibi relatum legere seu obseruare, quod insignis et vera debilitas quamlibet febrem praecedat, nisi quis vagus et inconstans in notionibus esse velit, nomina inter se confundere et debilitatem appellare, quae morositati, socordiae et cuidam in obeundis suetis negotiis molestiae debentur. Negari etiam haud potest, algorem, quamuis in plurimis, minime tamen in omnibus febribus obseruari, sed a calore protinus eas incipere: qua in sen-

tentia

l) l. c. §. 34. p. 21.

m) CVLLEN l. c. §. 36. p. 23.

tentia inter alios clarissimos medicos sunt Ill. NICOLAI n) et VOGEL o), inde facile cogere possumus; vt etiam debilitas, cuius effectus algor a Cl. CVLLEN dicitur, abesse debeat, ideoque nec illa naturam febris ex parte constituat. Quasdam febres antecedit debilitas, non vero omnino omnes; tunc certo denunciat, teste Ill. GRVNERO p), graues morbos eosque fere iam incipientes, v. c. febres inflammatorias atque putridas.

§. V.

Sed nunc ad eas notas, ex quibus debilitatis praesentia colligitur q), me conuerto. In eorum numero ponitur a Cl. CVLLEN pulsus paruus, debilis et contractus, algor seu horror extremorum, pallor cutis et vasa eius collapsa, totius corporis habitus veluti desidens, lassitudo, torpor et quaedam ἀναισθησία cet. Omnibus fere medicis adsentientibus, ex his signis non, nisi spasmum subesse, intelligere possum. Partibus enim corporis externis spastica adstrictione affectis, in iis circulum sanguinis impediri scimus, a quo cum cutis externae rubor pendeat, ea non potest non pallida fieri, et cum arteriae spasmo constringantur velutique arctentur, necesse est pulsus fiat debilis, paruus et contractus. Spasmum etiam praesentem indicant omnium se- et excretionum, durante frigore, suppressio, denique ipse frigus r). Vnde perspicuum est, debilitatem, si qua febri superaccedit, saltem effectum esse spasmi, non

n) S. SCHAARSCHMIDTS *Anweisung zum Studio medico - chirurgico, herausgegeben vom D. E. A. Nicolai I. Theil* p. 455.

o) De Cognosc. Morb. §.

p) ILL. GRVNERVS l. c. p. 225.

q) V. CVLLEN l. c. §. 34. p. 21.

r) Gaub. Institut. *Patholog.* p. 411. edit. alt. Lips. 1771.


non caufam. Haud enim fugere poteſt medicos, quemlibet paene ſpasmum debilitatem ſequi, maiorem minoremue, pro diuerſa eius vehementia. Nam neruorum vis, quousque diſtentio durat, incredibile, quantum infringitur, nec facile tunc reſtitui poſſe videtur. Quare cum a ſpasmo omnia, quae debilitati noue tribuuntur, induci videamus, mirandum non eſt, ſi ad eorum accedamus ſententiam, qui ſpasmum eſſe febrium cauſam proximam putant *s*), debilitatem nullo modo.

§. VI.

Cuius ſpasmi in cute eiusque vaſis praeſentiam etſi Cl. Auctor *t*) ipſe vel inuitus concedere cogitur, atque eum magnam partem cauſae febris proximae efficere, perſtat tamen in ea ſententia, febrem potiſſimum a debilitate prouenire, quin contendit, ſpasmum ipſum ab illa generari. Sed pathologiae praeceptis quodam modo, me quidem iudice, repugnare videtur, ſi ſic argumentari licet. Debilitas enim nulla eſt ſine impedita neruorum virtute, ideoque nec fibrae, in primis muſcularis, impotentia, nec imminuta ſenſilitas ac irritabilitas: Quod dum ſit, tum muſculi ſatis bene moueri nequeunt. Neque etiam non pathologia ſatis ſuperque docet, proportionem quandam intercedere ſenſilitati cum contractione ipſa, ita, vt haec illi reſpondere, et quo maior illa, eo maior haec exiſtere debeat. Contra longe alia ratio videtur inter irritationem ac ſolidi ſenſilitatem eſſe, ſiue ſtimuli ſpectes naturam, ſiue quas afficit, partes. Quare ſcire licet, ſi ſolida quaedam pars debilitate laborat, ſiue imminuta eius irritabilitas eſt, ſiue prorſus abolita, tunc illa vel exiguo tantum, vel nullo

s) LVDWIG. Inſt tut. Pathol. p. 871 §. 204.

t) CVLLEN l. c. §. 39. 40. p. 24. et 25.



lo plane modo ſtimulum, quamuis ſit vehemens, percipere ſeque contrahere poſſe. Spasmus vero ſeu inuita, valida et conſtans fibrae muſcularis contractio, ſemper indicat irritamentum quoddam generis neruoſi, itemque irritabilitatem Hallerianam affectam et iuſto auctiorem. In hac enim irritabilitate in primis cauſam et ſpasmorum, et febrium latere medicus affirmat doctiſſimus quisque *u*). Praeterea, ſi quis ſolida firma, denſa, praedita et tenſione, et elatere iuſto habet, ac habitu corporis eſt paullum adſtrictiori, hincque natura ſua gaudet irritabilitate facili, accedente quoquam irritamento alio, modo vera ſint, quae a phyſiologis ſimiliter atque pathologis tradita leguntur, neque me omnia fallant, non poteſt non naſci tam valida et violenta ſolidi contractio, quam quae maxima. Id quod paullo magis inde elucere mihi videtur, ſi cauſas, vnde herniae incarceratae oriuntur, attendamus. In iis eniteſcit anulus abdominis. Tradit enim Ill. RICHTERVS *v*) anuli huius elaſticitatem vimque irritabilem totius corporis elaſticitati, irritabilitati ac robori deprehendi perquam conuenientem; illam in infantibus minorem eſſe, quam in adultis, in viris plerumque maiorem, quam in feminis; indeque iure ſuo concludit, quo maius robur partium ſolidarum totius corporis ſit, eo maiori vi elaſtica et quaſi irritabili gaudere ipſum anulum, eoque vehementiorem et validiorem tunc fieri contractionem ſeu ſpaſmum debere, ſi hernia ab anulo ſpaſtice affecto quaſi conſtringatur. Quibus omnibus rite perpenſis, vix, vt credam, adduci poſſum, a debilitate progigni ſpaſmum, cum haec ſibi re-

u) GAVB. l. c. p. 81. §. 195. et §. 209. p. 93. Ill. GRVNER l. c. §. 276. p. 199.

v) *Adhandlung von den Brüchen*, I. Band p. 93. cet. Goetting. 778.

repugnare vidimus; sed suae cuiuslibet diiudicationi relinquam.

§. VII.

Neque vero licet assentire Cl. CVLLEN, cum neruos affici ait a contagio w) quodam et miasmate, vel timore ac frigore laedi, sedari illico motus corporis vehementes, et induci quandam debilitatem, ideoque idem illud in febribus locum habere oportere. Etenim nullo modo licet, si bene et naturae rei accommodate philosophari velis, sic argumentari. Prius concedo, posterius nego et pernego. Frigus spasmos quidem efficit, at vero non semper debilitat, timor neruos laedit ac impotentiam quandam secum ducit, sed ad naturam febrium explicandam nihil valet; contagium x), de cuius natura occulta etiamnum disceptant medici, omnium minime huc referri posse videtur. Nam cum alius neruos accuset, alius humores, alius plura miasmatum et contagiorum genera constituat, v. c. *vniuersalia*, quae sanguini vel lymphae insint, *specifica*, quae vel in neruis lateant, vel in humoribus bilioso-mucosis, alius vnum tantum genus concedat, quod in humoribus variis varie immutetur, mirum profecto est, cur rem obscuram per aeque obscuram explicare annisus sit. Id vnum verum et exceptione maius est, hac ratione affici neruos, et debilitatem subitam sequi potissimum morbos contagiosos, falsa vero conclusi-

w) v. l. c. §. 35. p. 22.

x) Cf. GERICKE Dissert. sist. Miasmatologiam generalem, Goetting. 1775. et Cl. NYDOV Animadv. de Contagio, Lips. 1776.

clufiuncula eft, hanc effe febrium cauffam proximam. Res quascunque debilitantes impetum febris renouare ac recidiuas inducere poffe, fubeffe in ipfa febre aliquid, quod motum humorum imminuat et functionum animalium infirmitatem relinquat, facile largior; at vero quaero iterum, numne ifta debilitas fine vitio quodam alio antegreffo, humores vel folidas partes afficiente ac ftimulante, cogitari poffit.

§. VIII.

Quin ipfe VIR Cl. probe fenfiffe videtur, fententiam fuam non fatis conftare poffe, cum fpafmum y), minimorum vaforum anguftias occludentem, cor et arterias ftimulantem, donec fequatur quaedam relaxatio et fpafmi abactio, febrem generare profiteatur, certe multum conferre ad cauffam febris veram et indubitatam, et nihilofecius per praeiudicatam opinionem eo redit, vnde deflexerat, magis debilitatis rationem effe habendam. At vereor, vt id, quod ex his fumitur, certo confequatur. Primum enim non fatis liquet, debilitatem parere febrem, (id quod ipfe auctor dubitanter in medium profert) ideoque paene ridiculum eft, rem incertam, tanquam fundamentum, adhibere, quia neceffe eft corruat omnis eius de caufa febris proxima doctrina, fi fumtiones lubricae et fallaces effe deprehendantur. Deinde male concluditur, etiamfi incerta fit ifta debilitas, tamen nos poffe facilius cogitando affequi, quomodo haec fpafmum faciat, quam fi contra ftatuas. Miror mehercle fpinofam iftam argumentandi rationem

y) CVLLEN l. c. §. 40. p. 25.

nem et contortulas conclusiunculas, cum sumta dari concedique nullo modo possint. Nam si verum est, spasmum repeti oportere a debilitate, quaerimus, quid causae subsit, quod robusti vehementer conuellantur ac distendantur, infirmi minime? Quómodo magna membrorum concussio vel constrictio a vi ista probabile, quae reuera talis non est, oriri possit? Equidem (fateor) haec inter se bene coniungere nequeo. Denique vehementia et duratio spasmi quidem sequitur causam praegressam, recte monente Cl. CVLLEN; an vero illa nulla sit, nisi a debilitate quadam dimanet, vehementer dubito. Verum est et experientiae consentaneum, accessiones eo longiores futuras esse, quo maior subest debilitas, eo magis pertimescendas recidiuas: Sed falsum est, quod inde sequi voluit, primam febris originem eam esse habendam, quippe sic incipientem et adultum morbum male inter se confundit.

§. IX.

Sequitur atonia z), quam praeter spasmum in minimis vasculis adesse, et, cessante spasmo, restitui elasticitatem vimque eorum oportere auctor est. Hanc vero sententiam inde confirmare studet, quod in febribus reperiantur appetitus deiectus, nausea et vomitus, a consensu, qui cutim et ventriculum intercedit, vnice repetenda. Insunt haec (fateor) multis febribus, quas sordes intestinorum comitantur, at vero non omnibus. Conspirant et consentiunt istae partes, et, suppresse

 tran-

z) v. Cullen l. c. §. 42. p. 27. seq.



transſpiratione, ventriculum miſere affici, experientia et vſu edocemur. Neque vero opus eſt, quandam atoniam in ſuſidium vocare, ſiquidem iſtorum ſymptomatum explicatio non operta, ſed aperta eſt. Nauſeant et vomunt aegri, quia aut impurae ſunt primae viae, aut male affectae propter ſpasmum, qui certe ſubfrigore febrili maxime vrget. Frigida aqua hauſta poſt ſpasmum incitat vires et ſudorem euocat; In febre peſtilentiali ac in ceteris morbis, qui per miaſma quoddam volatile adoriuntur, contagium facile per os attrahitur, ſequitur nauſea et irrtius vomendi conatus, et data maturius medicina emetica omnia iſta mala illico ſilere iubet. Recte ergo SYDENHAMVS *a*), magnus morborum obſeruator, ſudoriferis abegit contagium, quoniam aut per os reicienda talis occulta et ſubtilis materia eſt, ſi recens ventriculum ſubiit, aut ſi iam ad ſecundas vias peruenit, diaphoreticis quaſi diſſipanda. Imo vero conſtat inter omnes, nouiſſimam cauſam morbi occaſionalem a frigore indeque ſuppreſſa transſpiratione proficiſci; qui transſpirabilis humor quam facile ad inteſtina delabatur, ſpasmos et dolores gignat, ſatis notum eſt; Quidni ergo et hic placeat cauſam propiorem longinquae praeferre? Quid opus eſt atoniam quaſi adiungere, cum ſpasmus ſuppetat iis omnibus dextre riteque explicandis? Si quid veri huic ſententiae ineſt, iſta temere ſumta atonia ſpaſmi principis effectus eſt, ideoque nequaquam inſtar cauſae proximae

ſecun-


a) v. Eius Opera omnia p. 75. ſeq. T. I. Ed. Geneuenſ.

ſecundariae habenda. Accedit et illud, quod, qua via inter ſe iungi et copulari poſſint ſpaſmus et atonia, non facile explicatu eſt, etipſe auctor ſumti huius ingenue fatetur. Quae vero de virtute cerebri tunc temporis apparente et de delirio febrili, maxime ſub frigoris acceſſione, huc profert ad ſententiam ſuam defendendam, non habent eam apud me vim et poteſtatem, vt victas manus dem. Ecquis enim eſt, qui certo ſciat, delirium febrile *b*) ab inaequali cerebri contentione ac irritatione oriri? Fac vero, reuera haec ita eſſe, vt opinamur, num ideo doceat quandam cerebri infirmitatem?

Non putarim. Quamdiu ſpaſmus, ſiue ab multitudine, ſiue ab inanitione ſit, ſufficit ad explicandas morborum naturas, iniuſtum profecto eſt, tutam et regiam viam deſerere, anfractus et latebras quaerere. Proprio vero ſe gladio iugulat Cl. CVLLEN, cum hac in re identidem dicat, *ſaepe atonia ſpaſmum efficit, ſaepe cum febre incidunt quaedam ſymtomata, quae debilitatem quandam cerebri manifeſtant, ſaepe oritur delirium febrile a cerebro quodam modo debilitato, videtur delirium ſub prima frigoris acceſſione et ipſo aeſtu inde prouenire rel.*

Ita enim non argumentatur, qui ſibi conſtat. Non eſt boni medici, dicere, *ſaepe adeſt*, et huic, *ſaepe*, nouam hypotheſin

b) v. CVLLEN l. c. §. 45. p. 30.



thesin superstruere, quae tam manca, instabilis et mutabilis esse debet, ac illud, *saepe adest*.

§. X

Expensa igitur et in vtramque partem considerata Cl. CVLLEN sententia de causa febrium proxima, a debilitate sola repetenda, reliquum est, vt, quam vera sit, quamque praeclara in natura febrium explicanda, quantopere antistet ceteris antecessorum placitis, paucis videamus. Non enim satis est, dixisse et effuse laudasse quemquam sua inuenta, (hoc enim artificium ad solos imberbes et per somnium factos inuentores pertinere videtur) sed haec vera demum laus, honos atque gloria est, si, quae noue dixisti, nec a sensu communi et artis decretis abhorrent, vtilitatem certam, nec perituram habent.

XI.

Haec ergo summa est argumentorum Cl. CVLLEN c). Remotae febris causae sunt quaeque res irritantes atque neruorum genus stimulantes; hinc, laesa vi cerebri, sequitur quae-


c) v. CVLLEN l. c. §. 46. p. 32.

quaedam debilitas functionum corporis, inprimis minimorum vasorum, ex hac irritatio reliquorum totius corporis vasorum, a frigore ac spasmo auctior cordis et arteriarum motus et tam diu consistens, donec reddita vis cerebri et minimorum anfractuum tollitur spasmus, tunc sudor et quaecunque notae apertorum emissariorum. Praeclare haec dicta et adumbrata omnia, nisi iterum subrepsisset quasi clanculum suppositicia debilitas. Qua sublata, cetera nosse satis est, et valeant plurimum ad difficilem febrium originem bene illustrandam, ad expediendam arduam quaestionem *d*), num quid huc conferat lentor humorum, materia extrinsecus allata vel intrinsecus nata, naturae medicatricis beneficio eliminanda, bilis in intestinis accumulata cet. Errant, qui vnam eandemque causam febrium statuunt, cum modo hic, modo ille stimulus in censum veniat, modo plures conspirent, ideoque non, nisi is, qui sine vlla praeiudicata opinione rem arduam aggreditur, et vbique distinguit, videtur mihi verum videre ac reperire sine Oedipo.

§. XII.

Sed vela contrahamus, temporis angustiis et ingenii

d) v. CVLLEN l. c. §. 48. p. 33. seq.



imbecillitate coacti. Iubent leges academicae ſcriptionem; Obſequor. Requirunt quidam arbitri a tyrone noua; Reddo, quae noue a Cl. CVLLEN dicta ſunt; Examino pro virium modulo iſtam precariam ſumtionem, a magno et docto viro profectam, et ſpero non ſolum, verum etiam confido, fore, vt nec irritam ac ſuperuacuam, nec inutilem meam operam reputent arbitri et iuſti talium laborum iuuenilium aeſtimatores.



TIGHT GUTTERS.